

**PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO**

COMMUNICATIONES

VOL. II - N. 2

1970

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

VIA DELL'ERBA, 1 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1970

Litterae Card. a Secretis Status	133	<i>Pont. Commissio Decr. Conc. Vat. II interpretandis</i>
EX ACTIS PAULI VI		Responsa ad proposita dubia 164
Litterae apostolicae. <i>Ingravescentem aetatem</i> .	135	Responsum ad propositum dubium 165
Allocutiones:		
I. De opera Pont. Comm. C.I.C. recognoscendo	138	ACTA COMMISSIONIS
II. Ad Ass. Nat. Gallicam cultorum iuris	139	Coetuum studiorum labores 167
III. De reformatione interiore promovenda pro recognoscenda lege canonica	142	Opera Consultorum 168
IV. De ordine morali christiano	145	I. De Institutis perfectionis 168
EX ACTIS SANCTAE SEDIS		II. De iure processuali recognoscendo 181
<i>S. Congr. pro Cultu divino</i>		III. De procedura administrativa 191
I. Instructio: de S. Communione sub utraque specie	149	IV. De iure poenali recognoscendo (ad-dendum) 194
II. Decretum: Nova editio Missalis Romani	152	
III. Instructio: de calendariis particularibus	153	
<i>S. Congr. pro Causis Sanctorum</i>		DOCUMENTA
Decretum: Novae de actorum scriptione normae	156	I. De potestate decisionis auctoritatum supra-dioecesanarum in Ecclesia (W. Onclin) 196
<i>S. Congr. pro Clericis</i>		II. Relationes de schemate Legis Ecclesiae fundamentalis 213
Decretum: de Missis pro populo	157	NOTITIAE 216
<i>S. Congr. pro Rel. et Inst. saecularibus</i>		INDICES
I. Declaratio: de clausura	157	Indices anni 1969
II. Decretum: nonnullae facultates conceduntur	158	I. Index rerum chronologico ordine digestus 217
<i>S. Congr. de Institutione Catholica</i>		II. Index nominum personarum 221
Ratio fundamentalis inst. sacerdotalis	160	Indices anni 1970
		I. Index rerum chronologico ordine digestus 224
		II. Index nominum personarum 230

Melius igitur erit si nihil de his canonibus anticipetur etiam modo generali.

Ceterum labores huius Coetus adhuc compleri debent quia plura adhuc manent elaboranda et quia pars iam apparata examinari adhuc debet ad aptam et uniformem terminologiam in toto schemate partis generalis adhibendam (P. Marcus Said, O.P., *Relator*).

II

DE IURE PROCESSUALI RECOGNOSCENDO

I. PRAECIPUA LABORIS TEMPORA

1. Materia recognoscenda a Coetu « De Processibus » ampla est: canones enim revisi vel ex novo concinnati, quorum redactio a Coetu consideratur sat definitiva sunt 368; canones vero adumbrati quoad sensum, non vero adhuc quoad praecisa verba, numerantur circiter 33.

2. Opera Coetus sextum iam annum laboris ingressa est, cum diebus 24-28 maii anni 1966 iam primam habuerit sessionem, quando sex tantum Consultores numerabat. Nunc Consultores Coetui addicti sunt undecim, ex novem nationibus.

3. *In prima illa sessione* agi coeptum est de nonnullis mutationibus, quae videbantur non exigui momenti, inducendis in legislatione processuali. Ita redacta fuit norma de secunda instantia in causis nullitatis matrimonii brevianda; recognita fuit necessitas constituendi in Ecclesia Supremum Tribunal Administrativum, opportunitas habendi ubique Tribunalia regionalia, possilitas assumendi laicos tamquam assessores, auditores et notarios. Consultores quoque animadverterunt iudices, pro summa eorum dignitate et responsabilitate, merere stabilitatem maiorem qua nunc fruuntur, ita ut non sint « amovibiles ad nutum Episcopi » (*CIC*, can. 1573, 5).

4. *Ceterae sessiones* celebratae sunt bis vel etiam ter in anno, et, unaquaque vice, per integrum hebdomadam.

Materia pertractata in singulis conventibus haec fuit:

a) mense maio a. 1966: quaestiones generales — recognitio canonum 1552-1607;

b) mense februario et martio a. 1967: recognitio canonum 1608-1705;

- c) mense octobri a. 1967: recognitio canonum 1706-1746;
- d) mense februario a. 1968: quaestio incidens: « De opportunitate methodi hucusque adhibitae in revisione libri IV CIC »; recognitio canonum 1747-1836;
- e) mense octobri a. 1968: recognitio canonum 1837-1877;
- f) mense februario a. 1969: recognitio canonum 1878-1901; quaestiones systematicae et structurales totius tractationis « De Proces-sibus »;
- g) mense maio a. 1969: recognitio canonum 1902-1924;
- h) mense octobri a. 1969: de compromisso in arbitros; de criteriis pro revisione causarum matrimonialium;
- i) mense martio a. 1970: de causis matrimonialibus in genere; de causis nullitatis matrimonii (canones 1960-1969);
- l) mense octobri a. 1970: de causis nullitatis matrimonii (canones 1970-1989); examen schematis propositi de iudicio criminali.

5. Methodus adhibita in omnibus istis sessionibus haec fuit:

- a) circa materiam sessionis, determinatam iam antea a Secretario omnes Consultores sua promunt scripta vota; b) Relator considerat haec vota et redigit Relationem sat amplam, ubi colligit opiniones Consultorum de unoquoque problemate; dein suas animadversiones addit et tandem proponit formulam quae respondet conclusioni argumentationis;
- c) Haec Relatio distibuitur initio sessionis et constituit veluti basim circa quam evolvi potest discussio ordinata et concreta et demum determinatio, ope suffragiorum, formulae uniuscuiusque normae.

6. De procedura administrativa egit hucusque restrictus coetus Consultorum, a totali coetu deputatorum.

Haec provisio necessaria visa est, eo quod agitur de tali iure nunc primum condendo in foro Ecclesiae saltem quoad constitutionem et regimen tribunalium administrativorum.

Consultores delecti sessionem habuerunt die 13 ianuarii a. 1970 ad consilia invicem capienda pro definitione principiorum generalium.

Dein Prof. Ciprotti collegit in perspicuo indice « *Quaestiones prae-vias* », supra quas requisivit scriptum votum Consultorum. De cetero videas relationem de hac re in pag. 191 ss.

II. PRINCIPIA GENERALIA

7. Recognitio iuris processualis, ut optatis omnium respondeat, hoc praestare debet, quod nempe iustitia tuto et celeriter administretur, quod unusquisque de populo Dei fidere possit tuitioni suorum iurum per procedurale systema citatum et perspicuum.

Insuper negari nequit mores alicuius nationis, leges civiles loci influxum exerceant praesertim circa modum et qualificationem mediorum probationis et actuum iudicialium. Ex alia parte, attentis hierarchica structura tribunalium et iure fidelis deferendi semper suam causam ad Sedem Apostolicam, leges processuales in universa Ecclesia debent substantialiter inter se congruere¹.

Hoc opus, hic labor huius Coetus: iustum invenire aequilibritatem inter decentralizationem (quam vocant) et unitariam iustitiae organizationem; inter agilem, brevem processus typum et securam publici privatique boni tuitionem.

III. DISTRIBUTIO MATERIAE PROCESSUALIS

8. Cum iam adprobatum sit legislationem de tutela iurum in Ecclesia partem ab aliis distinctam sumendam esse in futuro Codice « per diversas sectiones »², Coetus sollicitus quoque fuit de adumbratione divisionis huius materiae.

Iamvero, ut respondeat logicae ordinationi, haec legislationis pars incipere debet a iudiciis *genericis*, ut dein descendere possit ad processus *speciales*. En delineatio proposita: praemissis principiis de iudiciis in genere, traditur prospectus iudicij *contentiosi*, iudicij *criminalis* et processus *administrativi*.

Dein fit transitus ad *processus speciales*, inter quos primum locum tenent *causae matrimoniales*, quae evolvuntur in quadruplici ordine: *a*) causae nullitatis; *b*) processus dispensationis super rato; *c*) processus dispensationis in favorem fidei; *d*) causae separationis.

In sectione processuum specialium sequuntur: causae *contra sacram ordinationem*, et processus (non omnes) qui nunc continentur in parte tertia libri IV *CIC* (cc. 2142-2185).

¹ Cfr. *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant*, 5, in *Communicationes*, 1, 1969, p. 81.

² Cfr. *De ordinatione systematica novi Codicis Iuris Canonici*, n. 5, in *Communicationes*, 1, 1969, p. 108 s.

Talis materiae divisio obtinet quoque oeconomiam legislationis, quia, quando iam plene delineata est figura triplicis processus typici, facilis est descriptio processuum specialium, circa quos sufficit indicare lineas in quibus singuli deflectunt a typo vel a typis, in quibus inscribuntur.

IV. NONNULLAE PRAECIPUAE IMMUTATIONES

A) *in iudiciis in genere.*

9. Impossibile est, in hac sede, referre omnia nova elementa inducta, sufficiat inuere illas immutationes, quae, potius quam technicam iuris, redolent spiritum Concilii Vaticani II, et ostendunt conatum Consultorum aplicandi principia supra recensita (n. II).

10. *Laicis* aperitur tribunalium ianua ita ut ipsi non solum tamquam petidores forum adeant, sed sedere quoque possint intra cancellos iustitiae sicuti publici officiales.

a) Capacitas laici *ad officium Notarii* universim agnoscitur (exceptis tantummodo causis criminalibus clericorum), et non tantum « si clerici desint », sicuti nunc ex can. 373.

b) *Ad munus Assessoris* item vocari poterunt, et valde utiles erunt iudici unico praesertim illi qui civilem iurisprudentiam et scientiam administrativam calleant. Ad hunc finem expungitur altera pars can. 1575.

c) *Auditores* quoque, seu *instructores actorum*, ipsi constituentur, sicuti iam alicubi factum est in Ecclesia. Ideo in can. 1581 auferri debet norma quod huiusmodi auditores « *deligantur ex iudicibus synodalibus* ».

d) *Iudex* quoque *de merito* renuntiari poterit laicus, non quidem unicus, sed unus de collegio in causis nullitatis matrimonii in primo gradu agendis, ex indulto Conferentiae Episcopalis, quando nec in tribunali regionali collegium trium iudicium clericorum efformari poterit.

11. *Tribunalia Regionalia*, non solum ad causas nullitatis matrimonii, sed ad omnes causas non reservatas in primo et altero gradu pertractandas, constituere poterunt Conferentiae Episcopales, assignata cuilibet tribunali opportuna circumscriptione.

Conferentiae Episcoporum erit sedes horum tribunalium determinare et officiales constitue.

Per hanc provisionem extenduntur ubique, et quoad omnia negotia iudicaria, indubia beneficia quae, hisce novissimis decenniis, ex regionibus foris nonnullis nationibus provenerunt.

12. *Officii iudicialis nomina aliquatenus immutantur.* Ita tollitur illa vox « Officialis » vel « Vice-Officialis », quia verbum nimis generaliter munus designat.

Ponitur « *Vicarius Iudicalis* », et ita exprimitur maior coniunctio cum Episcopo vel cum Episcopis (in tribunali regionali). Qui nunc dicuntur « Vice-Officiales » postea appellabuntur « *Vicarii Iudicales adiuncti* ».

Iudices habebuntur « *regionales* » vel « *dioecesani* », sublato nomine « *synodalium* » aut « *prosynodalium* » quod nihil dicit relate ad vim muneris.

13. *Decentralizatio* (quae dicitur) dupliciter habebitur:

a) per *Statuta iudicaria*, a Conferentia Episcopali promulganda in quibus ordinatio tribunalium, eorum sedes, procedura quoad nominationem officialium, eorum retributionem, admissio advocatorum, eorum emolumenta, concursus dioecesium circa personas et oeconomica subsidia, determinabuntur;

b) per *Directoria*, in quibus omnia quae a Codice indeterminata relinquuntur, quae demandantur statuenda a iure particulari et practicus ordo agendi (regolamento) tribunalium, definientur a Conferentia.

B) *in iudicio contentioso.*

14. *Etiam non baptizatus potest esse actor.*

Hac in re — quamvis formulatio definitiva dependeat a Lege Fundamentalis Ecclesiae adhuc examinanda — haec est propositio Coetus: si infidelis petat ministerium iudicis ecclesiastici, arduo debet ad causam agendam. Quod a fortiori valet relate ad acatholicos baptizatos.

Praesens disciplina, qua ii admittuntur ex venia alicuius Dicasterii quasi personalitas iuridica ipsis donaretur ad tempus, intra schemata iuris difficulter recipi potest.

15. *Mulier potest patrocinium exercere.* Hodie mulieres incumbunt studio iuris canonici et nulla praetiosa ratio adduci potest ad eas excludendas ab officio advocati: imo, praesertim in causis matrimonialibus, uxores possunt magis fidere patrono sui sexus.

16. *Probationum ordo permutatus.* Visum est Coetui indicem probationum redigendum esse iuxta momentum maius singulis probationibus tribuendum. Ita probatio per instrumenta secundum locum accepit, ante probationem per testes.

In novo ordine tractationis Caput « De confessione partium » titulum coepit « *De declarationibus partium* », ut comprehendere posset etiam declarationes illas quae non constituunt confessiones, ad finem ut de eorum quoque vi iuridica aliqua taxatio poneretur.

17. *Adsistentia patronorum ad examen testium.* Ut aliquid simile communi praxi tribunalium laicorum statueretur, et ut difficultates in ipsa instructione solvi possent, posita est haec norma.

Additum est tamen temperamentum: « nisi iudex propter rerum et personarum adiuncta aestimaverit secreto esse procedendum ».

Quoad adsistentiam partium norma datur omnino contraria: nequeunt adesse, « nisi iudex, praesertim cum res est de bono privato, eas admittendas censuerit ».

18. *Methodus interrogandi partes et testes decerni potest a iure particulari.* Quia nonnulla systemata iudicaria considerant huiusmodi excussionem tamquam activitatem partium, congruum non est imponere in foro Ecclesiae methodum omnino contrarium.

Nisi Conferentia Episcopalis hoc statuat, testes interrogantur a iudice, et quaesita ipsa patronorum vel defensoris vinculi proponuntur per iudicem.

19. *Systema nullitatis sententiae radicitus reformatum.*

Cum crisis huius medii impugnationis, sicuti viget in CIC, sit in aperto, oportet ex novo cudere architecturam huius impugnationis, eamque collocare supra bases firmas et perspicuas. Coetui visum est id consequi per has provisiones:

a) suppressio § 2 can. 1680 de nullitatibus derivatis, et adiectio huius novi canonis: « Nullitates actorum vel processus positivo iure statutae, quae ante sententiam non fuerint impugnatae, censentur ab ipsa sententia sanatae ». Ita via purgatur a multis difficultatibus.

b) *reductio nullitatum insanabilium* ad illas quibus ullo tractu temporis mederi nequit (contra id quod nunc evenit) eo quod fundentur in iure naturae, nempe quando: 1) sententiae praesupposita defuerunt; 2) ius defensionis denegatum fuit; 3) iudex vi vel metu gravi coactus sententiam tulit; 4) sententia controversiam non definit.

c) *demissio ad nullitates sanabiles* — quibus medetur per spatium decem annorum — illarum nullitatum quae nunc dicuntur insanabiles et recensentur in can. 1892, addito quoque casu can. 1894, 2º, nempe « si motiva seu rationes decidendi sententia non contineat ».

20. *Rei iudicatae aliqua demitigatio.*

a) Necessaria visa est *nova eaque demissior mensura* huius instituti, quae eius functioni practicae respondeat valedicendo praesenti formulae § 1 can. 1904, quae nimis sollemnitas appareat et granditate verborum plena. Coetus estimat quod sufficiat rem ita enuntiare: « Res iudicata firmitate iuris gaudet nec impugnari directe potest nisi ad normam can. 1905, § 1 ».

b) *Casus in quibus habetur* res iudicata recensiti sunt in indice novo, qui videtur magis completus, sive in formulatione (« si duplex intercesserit sententia *quoad petitum causamque petendi* conformis »), sive in enumeratione ex his additionibus:

« 3º Si, in gradu appellationis, instantia renuntiata fuerit ad normam can. 1740, vel perempta ad normam can. 1736;

4º Si praecesserit sententia definitiva unica, a qua non datur appellatio ad normam can. 1880 ».

21. *Lucidus ordo impugnationum.*

a) Imprimis non amplius vocantur « *iuris remedia* » quae sapient aliquatenus medicamenta et ideo incongrue adhibentur relate ad sententiam. « *Impugnatio sententiae* » est optima latinitatis vox, et concinit cum formula legum civilium.

b) Habentur antea *impugnationes sententiae*, quae ponuntur hoc ordine magis logico: 1) querela nullitatis; 2) appellatio. Dein *impugnationes rei iudicatae*, quae sunt: 1) restitutio in integrum contra rem iudicatam manifeste iniustam; 2) tertii oppositio, contra rem iudicatam quae tertium laedere potest; 3) causae retractatio, contra duplum conformem sententiam in causis de statu personarum.

22. *Clarificatio circa ambitum restitutionis in integrum.*

a) Vexata quaestio, quae omnes distentos tenet, solvitur clarificando can 1905, § 2, n. 4, seu edicendo: « *Legis substantialis* (vel substantivae) praescriptum evidenter neglectum fuerit ».

b) Reapse incertitudo vigens debetur maxime defectui systematis codicialis circa nullitates: nullitates iuris naturalis, non recentitiae in capite impugnationum sententiae, subiiciuntur querelae vel restitutioni in integrum? En divisio doctrinae et iurisprudentiae.

c) Nunc, in novis lineamentis nullitatum (supra, n. 19), pro visum est incertitudini statuendo, ex una parte, nullitates iuris naturalis subici querelae nullitatis, ex alia parte, nullitates iuris positivi *quoad acta et processum*, ante sententiam cognitas et non impugnatas, sanari per ipsam sententiam.

d) Non est, igitur, cur ambitus restitutionis in integrum extendatur ad neglectum iuris processualis. Quando sententia est substancialiter iusta, retractatio eiusdem decisionis ob defectus procedurales haud involventes denegationes iuris naturalis, est omnino inutilis. Nova sententia non posset non confirmare praecedens iudicatum, salvis utique nonnullis sollemnitatibus. Non esset nisi ludus processualis coram Ecclesia involvens detrimentum illius qui iustitiam exspectat.

C) in causis nullitatis matrimonii.

23. *Forum competens ad simpliciores regulas reducendum.* Habetur nunc architectura porrecta et minutissima circa forum competens, inducta a circumstantiis innumeris: uxor malitiose deserta, uxor legitimate separata, pars conventa acatholica, domicilium necessarium, quasi domicilium unius vel alterius. Et veluti silva, in qua quisque potest se collocare in loco sibi magis commodo.

Desideratur norma simplex, quae vigeat semper, independenter a conditione personae, quae nexum habeat cum unica et vera sede personae (ideo abolendum forum quasi domicilii) vel cum faciliore causae instructione, salvo semper foro celebrationis.

24. Commoratio fit titulus competentiae fori.

Abstrahendo, ergo, a domicilio et ab eius implicationibus, via magis obiectiva et facilius proponitur edicendo quod « competens est tribunal loci in quo pars conventa commorationem non praecariam habeat, quae ex aliquo publico regestu vel alio legitimo modo probari possit ».

25. *Facilius causae instructio item fundat titulum competentiae.* Etiam in hac re prospicitur effectui valde concreto, nempe tuitori et celeriori tractationi, quia instructio causae peracta principaliter apud alienum tribunal, indubitanter officit profundiori examini quaestionis.

Ad hunc finem statuitur quod competens quoque habeatur « tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque depositiones seu probationes, dummodo accedat consensus tum Ordinarii loci commorationis partis conventae, tum Ordinarii loci et praesidis tribunalis aditi ».

Ponitur etiam alia cautio: tribunal exquirere debet a parte conventa num aliquid excipiendum habeat contra forum ita aditus a parte actrice.

26. Possibilitas, relate ad primam instantiam, unius iudicis laici in collegio, vel iudicis unici.

a) Capacitas laicorum ad munus iudiciale ex plenitudine potestatis Summi Pontificis iam admittitur a classicis Canonistis (Reiffenstuel, Schmalzgrueber). A Concilio Vat. II³ provenit invitamentum ut laici « ad quaedam munera ecclesiastica, ad finem spiritualem exercendum, ab Hierarchy adsumantur ».

b) Norma proposita continet indubitanter novationem sat gravem. Ast dispositio multis cautionibus est circumscripta: Quando nec in tribunali regionali collegium trium iudicum clericorum efformari possit, Conferentia Episcopalis facultate instruitur permittendi in primo gradu constitutionem collegii ex duobus clericis et uno viro laico; et, si id quoque incassum cesserit, demandandi causas nullitatis matrimonii clero tamquam iudici unico.

Sequitur regula de qualitatibus requisitis in laicis iudicibus assumendis.

27. Nulla limitatio in iure impugnandi matrimonium. Etiam hic studendum est bono animarum et insimul iuridicae claritati.

a) Omnes qui usum fori habent, sciunt difficultates fere insuperabiles inductas ab exclusione coniugum, qui fuerint *nullitatis « causa directa et dolosa »*. Has angustias frequentes S. Sedis declarationes auferre non potuerunt. Ex alia parte non potest exigi aliquem manere perpetuo in concubinatu in poenam malae fidei qua contraxit.

Potuissent exigi resipiscentiae signa: sed de istis iuridice constare non potest. Pastorali via cautions hac de re requiri possunt et debent ante novas nuptias.

Proinde visum est limitationem nunc vigentem auferre.

b) *Quoad acatholicos*, reformato iam can. 1646 (cfr. supra n. 14), abolitio vetiti fit evidens.

c) *Quoad Promotorem Iustitiae*, Coetus conatus est praesentes ambiguitates tollere edicendo ipsum posse matrimonium impugnare in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expedit.

28. Acceptatio aut rejectio libelli a solo Praeside. Ad parcendum temporis et difficultati convocandi collegium praesertim in tribunalibus regionalibus, proposita est haec norma.

Attamen a reiectione pronuntiata a solo Praeside datur recursus ad Collegium, antequam adeatur iudex appellationis.

³ Const. dogm. *Lumen Gentium*, 33, 3.

29. *Ex officio statuenda formula dubii.* Etiam haec norma inservit rapido cursui iudiciorum.

Nisi expressa litis contestatio petatur a partibus, iudex intra decendum ab acceptatione libelli decreto suo statuit ex officio formulam dubii vel dubiorum et partibus notificat. Post decem dies, si partes nihil opposuerint, decernitur causae instructio.

30. *Paritas processualis inter Defensorem vinculi et patronum partis.*

Negari nequit sistema Codicis esse totum in favorem vinculi; unde patronus partis et tutor vinculi collocati sunt in evidenti inaequalitate iudicaria.

Aequa compositio fit concedendo etiam patrono facultates, quas can. 1968-1969 tribuunt Defensori vinculi, sublata, quoad utrumque, potestate excessiva de qua in can. 1969, n. 4, et salvis semper iuribus quae competunt partibus in processu contentioso (cfr. supra, n. 17).

31. *Non semper requiritur iudiciale periti examen.* Vitanda videtur illa periti auditio, quae respondeat merae sollemnitati, et non exigatur a necessitate complendi vel explicandi relationem peritalem, cuius authenticitas sit iam in aperto.

32. *Alterius instantiae aliqua contractio.*

a) Aliquando nullitas ita est solidis probationibus innixa, ut appellatio pro vinculo dici possit per se inutilis. Ast, in re tanti momenti, cautiones et praesidia aboliri nequeunt.

Media via utilis visa est, qua recognitio superior non aufertur, sed reducitur quoad sollemnitates.

b) Huius attenuatae instantiae praecipua stadia et elementa haec sunt:

aa) Defensor vinculi tribunalis appellationis exhibit suas animadversiones ut dicat utrum contra sententiam latam aliquid apponendum habeat, necne.

bb) Perpensis talibus animadversionibus et visa sententia, Collegium suo decreto vel decisionem primi gradus ratam habet, vel ad ordinarium examen secundi gradus causam admittit. In priore casu, nomine recurrente, ius est coniugibus, post decem dies a notificatione decreti, novas nuptias contrahendi.

cc) Adversus decretum ratihabitionis Defensor vinculi vel pars, quae se gravatam putet, ius habent recurrendi ad superius Tribunal, sed

tantummodo prolatis novis et gravibus argumentis, quae etiam praestosint.

dd) Defensor vinculi tertii gradus potest a recursu recedere: quo in casu Tribunal declarat litem finitam.

32. *Facilior transitus a causa nullitatis ad processum super rato.* Praesens can. 1963, § 2 appetet nimis simplex et non respicit nisi causam de impotentia. E contra, art. 206 Instructionis *Provida Mater* videtur nimis implexus, eo quod regimen diversum tribuat iuxta caput nullitatis primitus adductum.

Hic quoque Coetus via media progressus est, vitando confusionem et immixtionem inter Tribunal et Ordinarium, ex consideratione quod dispensatio matrimonii non consummati est modus practicus et celerior solvendi casum iam competentiae Tribunalis commissum (*¶ Aurelius Sabbatti, Relator*).

